

& memoriam extendens contra breuitatem aui. Cuius numen vltimū iam nullis * precamur irati graue: tanq̄ nesciamus hanc esse solam, quæ nunq̄ irascatur homini. Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: aer densatur nubibus, furit procellis: At hæc benigna, mitis, indulgens, ususq; mortalium semper ancilla, quæ coacta generat? quæ sponte fundit? quos odores saporesq;? quos succos? quos tactus? quos colores? quam bona fide creditum fœnus reddit? quæ nostri causa alit? Pestifera enim animantia, vitali spiritu habente culpam, necesse est illi seminata excipere, & genita sustinere. Sed in malis generantium noxa est. Illa serpentem homine percusso non amplius recipit, pœnasque etiam inertium nomine exigit: illa medicas fundit herbas, & semper homini parturit. Quin & venena, nostri misertam instituisse credi potest, ne in tadio vitæ diræ famis mors, terræ meritis alienissima, lenta nos consumeret tabe, ne lacerum corpus abrupta dispergerent, ne laquei torqueret pœna præpostera, incluso spiritu, cui quæreretur exitus: ne in profundo quasita morte, sepultura pabulo fieret, ne ferri cruciatus scinderet corpus. Ita est, miserta genuit id cuius facilimo haustu, illibato corpore, et cum toto sanguine extingueremus, nullo labore, sitientibus similes, qualiter defunctos, non volucris, non fera attingeret: terræq; seruarietur, qui sibipsi perisset. Et vt verum fateamur, terra nobis malorum remedium genuit, nos illud vitæ fecimus venenum * Nos enim & ferro, quo carere non possumus, simili modo vtimur. Nec tamen quæreremur merito, etiãsi malefici causa tulisset. Aduersus unam quippe naturæ partem ingrati sumus: quasi non ad delicias quasq; , non ad contumelias seruiat homini, in maria iacitur, aut ut freta admittamus eroditur aquis: ferro, ligno, igne, lapide, fruge, omnibus cruciatur horis: multoq; plus vt delicijs, q̄ vt alimentis famuletur nostris. Et tamē quæ summa patitur atq; extrema cute, tolerabilia uideantur. Penetramus in viscera, auri argentiq; venas & æris ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam & quosdam paruulos querimus lapides, scrobibus in profundum actis. Viscera eius extrahimus, vt digito gestetur gemma quam petimus. Quot manus atteruntur, vt vnus niteat articulus? Si vlli essent inferi, iam profecto illos auaritia atq; luxurie cuniculi refodissent. Et miramur si eadem ad noxam genuit aliqua. Feræ enim credo custodiunt illam, arcentq; sacrilegas manus. Nomen inter serpentes fodimus, & venas auri tractamus cum veneni radicibus? Placatiore tamen dea ob hoc vtimur, quod omnes hi opulentia exitus, ad scelera cadesq; & bella tendunt, quamq; sanguine nostro irrigamus, in sepultis ossibus tegimus. Quibus tamen velut exprobrato furore tandem ipsa se obducit, & scelera quoque mortalium occultat. Inter crimina ingrati animi & hoc duxerim, quod naturam eius ignoramus.

* Non, interrogatiue.

De forma terræ.

CAP. LXIII.

St aut figura prima, de qua consensus indicat. Orbē certe dicimus terræ, globūq; verticibus includi fatemur. Neque enim absoluti orbis est forma, in tāta montū excelsitate, tanta cāporū planicie: sed cuius amplexus, si capita linearū cōprehendatur ambitu, figuram absoluti orbis efficiat, id quod rerū ipsa naturæ cogit ratio non eisdē causis quas attulimus in calo. Nāq; in illo caua in se conuexitas uergit, & cardini suo, hoc est terræ, vndiq; incūbit. Hæc vt solida atq; cōserta, assurgit intumescēti similis extraq; protenditur. Mundus in centrum uergit: at terra exit à centro, immensum eius globum in formam orbis assidua circa eam mundi volubilitate cogente.

De antipodibus an sint, & aquæ rotunditate.

CAP. LXV.

IN gens hic pugna literarum, contraq; vulgi, circūfundi terræ vndiq; hōies, cōuersisq; inter se pedibus stare, et cūctis similē esse cali verticem, simili modo ex quacūq; parte mediā calcari: illo quærente cur nō decidant contra siti: tanq̄ non & ratio præsto sit, vt nos non decidere mirentur illi. Interuenit sententia, quamuis indocili probabilis turba inæquali globo, & si sit figura pineæ nucis, nihilo minus terram vndiq; incoli. Sed quid hoc refert: alio miraculo ex oriente? pendere ipsam ac nō cadere nobiscum, ceu spiritus vis mūdo præsertim inclusi, dubia sit: aut possit cadere, natura repugnante, et quo cadat negante. Nam sicut ignium sedes non est nisi in ignibus, aquarū nisi in aquis, spiritus nisi in spiritu: ita terræ arcentibus cunctis, nisi in se locus non est. Globum tamen effici mirum est, in tanta planitie maris camporumq;. Cui sententiæ adest Dicaearchus vir in primis eruditus, regum cura permensus montes, ex quibus altissimum prodidit Pelion, M. ccl. pass. ratione pp̄diculi, nullam esse eam * portionem uniuersæ rotūditatis colligēs. Mibi incerta hæc uidetur coniectatio, haud ignaro quosdam alpium uertices, longo tractu, nec breuiore L. milibus passuum assurgere. Sed uulgo maxima hæc pugna est, si coacta in verticem aquarum quoque figuram credere cogatur. Atqui nō aliud in rerū natura aspectu manifestius. Nāq; & dependentes ubiq; guttæ paruis globātur orbibus: et pulueri illatæ frondiūq; lanugini impositæ, absoluta rotūditate cernuntur: et in poculis repletis media maxime tumēt. Quæ propter subtilitatē humoris, mollitiamq; in se residentem, ratione facilius quam visu depræhēduntur. Idq; etiã magis mirū, i poculis repletis, addito humore minimo circūfluere quod supersit: cōtra euenire pōderibus additis ad vicanos sæpe denarios: scilicet quia itus recepta liquorē in verticem attollāt, * at cumulo emimente infusa dilabatur. Eadē est causa, propter quā è nauibus terra nō cernatur, è nauium malis cōspiciatur: ac procul recedente nauigio, si quid qd̄ fulgeat religetur in mali cacumine, paulatim descendere uideatur, et postremo occultetur. Deniq; oceanus, quē fatemur vltimum,

* portione

* accumulo emimente infra delabantur.